

debeant in animo prudenti. Recolo hic siquidem dixisse vos, auditu comperisse ab venerabili A. magistro, in mysteriis numerorum constare musicam. Dixit quidem ille vir magnus, quod adiudicavit dicendum. Tamen si ita est, minime debemus ambigere, immo discere sicque docere, et grammaticam in mysteriis litterarum et dialecticam in mysteriis syllogismorum procedentium a generalissimis usque ad specialissima et rhetoricam in mysteriis argumentorum et geometricam in mysteriis linearum et arithmetricam in mysteriis numerorum non ad aliquid, ut in musica, relatorum, sed ad se tantum, necnon et astrologiam in mysteriis astrorum, quod multum est disserere et sui expositione librorum indiget magnitudine. Sed neque in quadripartita¹ philosophia mysterium aliter habetur, nisi discendo aut docendo. Quod si ideo debet taceri disciplina, quia est mysterium, ergo nullus erit discipulus cessante doctore ab officio linguae. Quomodo enim discent sine docente, sicut apostolus²; 'quomodo autem audient sine praedicante'? Quod si ei placuit, ut sic sentiat mysterium discendi et docendi sicut credendi, tunc omnes artes fide sunt credendae, non doctrina discendae. Est autem mysterium secretum: quomodo autem sunt artes secretae, quae non solum definitae, verum etiam a multis sunt descriptae? Non est igitur secretum, quod est ab exordio diffinitum, descriptum³ et traditum. Si vero hic respondebitur, quia simile est fides, dicimus nos habere apostolum dicentem⁴: 'Corde creditur ad iustitiam', non autem corde credimus artes, sed disciplinabili mente discimus illas. Omnium enim intimorum intimus est Deus et omnium invisibilium invisibilis, cui soli *videndo per fidem corda mundantur. Non autem est necesse fide purgari corda ad artes videndas; verum ipsis artibus purgatur Platonicus oculus, quo videatur creator omnium Deus. Non est igitur mysterium musica, sed doctrinalis scientia, quae abstractam desiderat quantitatem, per quam quaeritur mysterium fidei, quo credatur per fidei meritum, donec videatur per ipsius fidei mirabile praemium invisibilis, immortalis et incommutabilis Deus.

Hoc autem dico, Deus scit, non docere affectans, qui nichil sum, sed discere cupiens id⁵, quod libentissime potitus sum, neque pertinaciter refellens, sed humiliter quaerens, quod si, ut dicere coeperam, qualitas et quantitas sibi etiam sensibilibus respondent, quanto amplius nichil minus etiam sensui subiacet amor, et qua parte non penitus a se valet excludere, quin metuat, cupiat et laetitiae dolorique succumbat. Ergo si apud vestrae sophiae gravitatisque celsitudinem ita se habent, obsecro, placeat vobis in his michi ferre solamen, et quoniam philo-

1) 'quadripta' Hs.

2) Rom. 10, 14.

3) 'discriptum' Hs.

4) Rom. 10, 10.

5) 'in' H.